

IACOBI IOSEPHI PLENK

CHIRVRGIAE DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ARTISQVE OBSTETRICIAE, PROF PVBL. IN CAES. REGIA VNIVERSITATE TYRNAVIENSI.


METHODVS

NOVA ET FACILIS

ARGENTVM VIVUM AEGRIS VENEREA LABE INFECTIS EXHIBENDI.

ACCEDIT HYPOTHESIS NOVA

DE ACTIONE METALLI HUIVS IN VIAS SALIVALES.



VIENNAE,

APVD RUDOLPHVM GRÆFFER,

MDCCLXIV.

Hic eſt, aut nuſquam, quod quærimus.

HORAT.

PRÆFATIO.

Multis, opinor, mirum videbitur, metallicum, post aurum ponderosissimum corpus, argentum vivum, arctam cum vegetabili gummi subire mixtionem, nec ruditer solum huic permisceri, sed intime subigi, & uniri vinculo adeo sociali, ut dein ambo in aqua maneant suspensa aliquanto tempore, atque etiam sedimento posito unita descendant ambo, nec sese dimittant unquam. Hæc tamen ita prorsus se habere, docet experientia, simplex qui-

dem illa; ſed quanto ſimplicior, tanto minus errori obnoxia, tanto & evidentior.

—

Nunquam non ſuapte natura utilis eſt experientia, qualiſcunque demum illa fuerit. Nam ſi etiam aliud emolumentum non adfert, animum ſaltem a præjudiciis liberat, obſcura illuſtrat, dubia ſecernit ab indubiis, fingendi licentiam compeſcit, mira ſæpe phænomenorum varietate delectat, animum addit ad ulteriora tentamina, limites demum auget ſcientiarum. Sed multo majus eſt experientiæ emolumentum, quod extra eruditorum muſæa, & in rem publicam, inque bonum civium plurimorum redundat. Talis potiſſimum eſt experientiæ medicæ, & chirurgicæ, & œconomicæ, effectus.

Tale

Tale & hoc nostrum experimentum est, quod, etsi curiositatis multum habeat, nunquam tamen ad scribendum impellere me potuisset, nisi utilitatem ejus insignem aliis tentaminibus compertam haberem. Dum vero repetitis observationibus vidi, posse ita ex argento vivo, gummi vegetabili subacto, remedium parari blandissimum, innocentissimum: dum insuper observavi, hoc in ægris labe venerea infectis plurimam præstare utilitatem, atque adeo esse medicamentum his in casibus efficacissimum, in publica jam commoda me peccaturum existimabam, si ejusdem promulgationem diutius celarem.

Potuissem equidem meam potius hac in re spectare commoditatem, ut qui alioquin haud in optima fortunarum conditio-

ne ſum locatus ; potuiſſem punica uti prudentia , & mihi ſervare arcanum , ſic forte magis frugiferum ; potuiſſem denique KAYSERI , *ex arcanis , at minus efficacibus pillulis jam opulentiſſimi*, HERENSCHWANDII , LANGHANSII , HILLII , *aliorumque Illuſtrium Agyrtarum exempla notiſſima ſequi , & tacite mecum in ſinu ridere.*

Verumtamen ab indigno ejusmodi affectu quam maxime ſemper meus abhorruit animus , & abhorrebit , dum vivam. Optime enim novi , nos religione teneri , ad ferendam aliis opem , ſiquidem illa in noſtra poteſtate ſit (*). *Ne ipſi ſiquidem ethni-*

*) 1. *Petri.* C. IV. ℣. 8. „ *Ante omnia autem in vobismet charitatem habentes : quia*

ethnici populi, & barbari, uſque adeo humanitatem exuerunt, ut iſtius obligationis, ad quam jure naturæ tenemur, obliviſcerentur. Quantum non, proh pudor! lucripetos arcanorum venditores confunderent, ſi in lucem redire daretur priſcis Aſſyriis, Babyloniis &c. apud quos lege cautum erat, ne quis ægrotantem præteriret expoſitum, ni remedium, ſi quod noſſet, candide & nulla ſpe mercedis aperiret?

Eſt vero alia longe Vindobonæ noſtræ fecilitas, quam unice Illuſtriſſimi Viri

A 4 L.

quia charitas operit multitudinem peccatorum " *Et* ℣. 10. „ Unusquisque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. "

L. B. van SWIETEN *sapientissimis consiliis debemus, qui omne suum studium, omnem laborem in augendos Medicinæ, practicæ imprimis, limites impendit; qui in eo totus est, ut in miserorum ægrotantium commoda, efficaciora & certiora indies remedia detegantur, qui urbem nostram ab agyrtis, circulatoribus, lucripetis arcanorum seplasiariis, adeo olim inquilinis, penitissime repurgavit; dum interim Parisiis, Londini, aliisque in urbibus Europæ maximis, id genus homines in commune ægrotantium detrimentum, & in ipsum medicorum opprobrium impune tolerantur. Est enim hæc* Illustrissimi Viri *sapientissima voluntas, ut, si quod usu eximio comprobatum alicui sit remedium, eo ipso in publicum id emolumentum vertatur, cum certe unius alteriusve*

homi-

hominis privatæ fortunæ non ſint communibus civium bonis anteponendæ. Hanc eſſe Viri Summi *fixam ratamque ſententiam, ex propriis Ejus libris dilucide perſpici poteſt; legantur modo ea, quæ de cancro dudum olim* Vir Illuſtriſſimus (*) *& quæ poſtea alio capite ſcripſit* (**).

*) §. 509. Comment. T. I. p. 901. „Forte tamen & inde aliqua ſpes affulget, non penitus impoſſibilem eſſe cancri ſeparationem a partibus; licet hactenus ignoretur, qua methodo, quibusve remediis, hoc fieri poſſit. Quam felix ille qui hoc inveniret! quanta pœna dignus, qui inventum celaret turpis lucri cauſa!"

**) T. IV. §. 1371. p. 729. „*S*ed quisque novit, arcanorum venditoribus non ſemper

Exemplo etiam omnibus & incitamento eſſe debet Vir Perilluſtris ac magnificus ANTONIVS STÖRCK, *qui, plurimis inventis felix, quantocyus hæc in publicam utilitatem vertit, ſuamque in medendo peritiam nihil reputavit, ſi non prodeſſet univerſis.*

Hæc dum ego mecum attento penſitarem animo, dum illuſtria ejusmodi exempla continuo menti obverſarentur, dum inſuper cogitarem, honeſti & ingenui viri

hoc

per habendam eſſe fidem. Ingenuum decet, ut generis humani utilitatem lucro magis æſtimet. Sed auri ſacra fames ſæpe aliud ſuadet. Nunquam me pœnituit, candide communicaſſe omnibus, ſi quid

in-

hoc eſſe officium, ut, ſi qua poſſit ratione, in publicam utilitatem ſuos impendat labores; fieri omnino non potuit, quin me compulſum & obſtrictum ſentirem, ut eam, quam experientia me docuit, novam & utiliorem argentum vivum ægris venereis exhibendi methodum, cum publico communicarem. Nec id ullius ſpe præmii facio, cui præmii loco ſufficiat ulterior hujus methodi ſucceſſus, & majus proximi levamen.

Nec invidorum convitia metuo, quum & clariſſimi alii auctores eandem pro beneficiis humano generi præſtitis experti

ſint

in arte utile noviſſem, nec pœnitebit, certus ſum, illo tempore,

„— — dum numina nobis
mors inſtans majora facit.“


ſint ſortem, & magnanimiter ferant inanes invidiæ morſus,

> Quæ videt ingratos, intabeſcit videndo
> Succeſſus hominum, carpitque & carpitur una,
> Suppliciumque ſuum eſt.

OVID. METAMORPH. II.



ME-



METHODVS NOVA ET FACILIS ARGENTVM VIVUM AEGRIS LABE VENEREA INFECTIS EXHIBENDI,

CAPVT I.

Origo hujus methodi.

Cum aliquot ante menſes occaſione libelli, quo mercurii ſublimati corroſivi efficaciam in morbis venereis defendere ſuſceperam, in cauſam inquirerem, qua argen-

gentum vivum in vias ſalivales potiſſimum ageret, incidi de hoc phænomeno in ſermonem cum Clariſſimo Medicinæ Doctore, & amico meo, Philippo Ambroſio MARHERR, qui pro ſolito ſuo candore ingenue reſpondit: nullam hactenus certam hujus phænomeni rationem dari poſſe; de variis quidem hypotheſibus cogitatum fuiſſe a variis auctoribus, ſed earum nullam ſufficere, & plauſibilem PITCARNII opinionem, qui in gravitate mercurii rem acu tetigiſſe multis videbatur, adeo omni probabilitate ſpoliatam eſſe ab Illuſtriſſimo L. B. van SWIETEN (*), ut in ejus defenſionem nihil ultra ſuperſit: ſibi interim videri, mercurium cum ſaliva & muco majorem, quam cum aliis noſtri corporis liquidis, affinitatem habere, & ideo forte os & fauces potiſſimum a mercurio peti. Addidit inſuper perſpicaciſſimus vir, perſpec-

tam

(*) §. 135. C. T. 1. p. 207.

tam ſibi eſſe aliquam mercurii exiguam portionem ſaliva ſubigi, ſed videri ſibi, majorem adhuc inter mucum & mercurium affinitatem intercedere; neque enim ſalivales ſolum glandulas, ſed etiam mucoſas petere mercurium, & præterea lentiorem muci naturam magis idoneam eſſe huic irretiendo, quam tenuiorem ſalivæ laticem; tentandumque in hujus rei certitudinem experimentum, quod hactenus neglectum eſſe crediderat ob nimiam ſolum rei ſimplicitatem, quæ & in multis aliis cauſa ſit, cur hodiedum complura lateant, forte non valde difficulter eruenda.

Illico adeo perplacuit perſpicaciſſimi amici opinio, ut e veſtigio promiſerim, me hanc propediem experimentis chemicis periclitaturum.

Poſtero igitur die experimentum inſtitui, & vidi omnino exiguam argenti

genti vivi quantitatem ſaliva abſcondi, multo tamen majorem a muco recipi, & expeditius ſubigi, atque ita opinionem viri doctiſſimi de illa mercurii cum his humoribus adfinitate penitus confirmatam ab experientia deprehendi, ipſique mox eventum omnem renunciavi.

Hoc facto una concluſimus, etiam cum aliis mucilaginoſis corporibus, cum animali, tum vegetabili e regno petitis, tentandum eſſe mercurium, ut adpareat, an non aliæ quoque ſubſtantiæ plaſticæ gelatinoſæ illum poſſent ſubigere, & ſi quæ harum ſint, an parum multumve a ſalivæ & muci animalis viribus differant. Hunc itaque in ſcopum ſequentia inſtituta ſunt experimenta.

Ex-

EXPERIMENTUM I.
Mercurius cum muco animali.

Mercurii vivi puriſſimi partem unam cum duabus partibus muci faucium exſcreatione rejecti miſcui & trivi in mortario marmoreo, exacte notando tempus, quo ad ſubactionem plenariam opus eſſet. Atque tum vidi ſpatio 7. minutorum horæ omnem mercurium ſubactum in materiam gryſeam, lentam, quæ tamen aqua adfuſa parum ſuſpenſa manebat, ſed ad fundum vaſis cito ſubſederat, licet liber & ſui juris factus non ſit mercurius, ſed muco unitus in fundo vaſis reſtiterit. Erat vero pondus mercurii ſcrupulus, muci duplum.

Saliva longe minorem quantitatem mercurii ſubigit, & forte non alia de cauſa ſubigit, quam quod ſemper aliquam muci quantitatem ſibi habeat permixtam, & puriſſimam ſalivam obtinere impoſſibile ſit.

EXPERIMENTVM II.

Mercurius cum ovi vitello.

Integrum ovi vitellum cum mercurii vivi drachma una trivi in mortario marmoreo per horæ quadrantem; videbatur prima fronte ſat bene ſubactus mercurius; verum adfuſa aquæ fontanæ libra una, dilutaque vitelli ovi viſciditate, mox vivus ſinceruſque mercurius ad fundum vaſis ſeceſſit, & ſenſim in globulos notabiles coivit, vinculis omnino liber.

EXPERIMENTVM III.

Mercurius cum ovi albumine.

Albumen ovi minorem adhuc in argentum vivum efficaciam oſtendit; nam drachma una mercurii cum ovi unius albumine per $\frac{1}{2}$ fere horam terendo nullatenus potuit ſubigi, & affuſa aqua illico in majores globulos coacervatus mercurius ad fundum ſubſedit.

Ex-

EXPERIMENTUM IV.

Mercurius cum ſanguine & ejus ſero.

Mercurium crudum cum ſero ſanguinis, ex proprio corpore prophylaxios cauſa detracti, commiſcui, & ut antea trivi; aliqua omnino exigua ſubactio contigit, longe tamen minus firma, quam cum muco, & affuſa aqua forma minimorum globulorum ſubſedit argentum vivum.

Idem tentavi cum rubra coagulati ſanguinis parte, & idem fere phænomenon obtigit, niſi quod parum major ſeri, quam rubræ partis, in mercurium efficacia viſa ſit.

EXPERIMENTUM V.

Mercnrius cum bile recente animali.

Drachmam unam mercurii vivi cum drachmis duabus bilis recentis

lucii piſcis ½ horæ trivi; difficillime & vix notabilis portio ſubigebatur; affuſa aqua relapſus in fundum vaſis mercurius in majoros globulos cito confluxit.

Experimentvm VI.

Mercurius cum ichthyocolla.

Ichthyocollæ drachmis duabus in gluten redactis unam argenti vivi addidi drachmam, hæc invicem ultra ½ horæ aſſiduo labore contrivi; ſed in ventos omnis meus faceſſit labor, nec tantillum mercurii ichthyocollam ſubiit.

Cum pinguedine demum animali mercurium vivum ſubigi poſſe vulgatiſſimum & notorium eſt; ſed ſola mercurii vivi diviſio, non adeo firma ſubactio ac cum muco, obtineri ſic poteſt; liquata enim per calorem pin-

pinguedine, imo ſæpe ſponte, mercurius in unguento neapolitano fundum petit vaſis.

Corollarium.

Ex hisce experimentis clare eluceſcit, mercurium manifeſte multo majorem cum muco, quam cum aliis animantium fluidis, affinitatem habere, atque hinc, ſi quæ alia fluida exiguam ejus particulam ſubigere valeant, id forte ſolum a mucilagine, quæ his ineſt, pendere.

Experimentum VII.

Mercurius cum gummi arabici mucilagine.

Cum itaque vidiſſem in prioribus experimentis, ex ſubſtantiis animalibus nullam eſſe idoneam mercurio exacte ſubigendo, præter mucum, qui hoc omnium optime præſtat, curioſitas me inceſſit, an non etiam ve-

getabiles muci, ſeu gummoſæ ſubſtantiæ, idem efficerent, experiendi.

Itaque mercurii vivi drachmam unam cum duabus gummi arabici pulverati drachmis trivi per $\frac{1}{4}$ horæ in mortario, lapideo, per vices affundendo aquæ fontanæ exiguam portionem, donec in mucilaginem gummi liqueſceret.

Non ſine ſumma admiratione vidi ſenſim diſparere mercurium, totum denique exacte ſubigi in mucum gryſeum lentum, qui affuſa integra aquæ fontanæ libra dilutus & conquaſſatus totam aquam gryſeo colore inficit, partimque in ea ſuſpenſus manet, partim quieto poſt plura minuta vaſe lente ad fundum deſcendit, gryſeum formans ſedimentum, in quo argentum vivum exactiſſime gummoſo lentore ita ſubactum eſt, ut, licet tanta aquæ copia dilutum, vinculum

ſuum

ſuum non deſerat, nec jam in globulos pro more ſuo coire poſſit.

Levi concuſſione lagenæ ſubſidens hic mucus iterum totus aquæ permiſcetur facile, & in liquidi ſuperficie ſpuma candida, alta, naſcitur, quæ & ipſa ſubtiliſſime attenuatum mercurium continet & ſuſpendit; quippe annulum aureum, cui illinitur, argenteo colore imbuit & dealbat.

Minori cum quantitate, ſcrupulo nimirum gummi arabici in mucilaginem redacti, & granis decem mercurii vivi idem repetii experimentum, ut eſſet experimento primo parallelum. Atque intra 6 horæ minuta omnem mercurium ſubegi penitus, dum 7 minutorum tempore opus erat in experimento cum muco animali inſtituto. Igitur promptius adhuc cum gummi arabico mercurius init conſortium.

Sedimentum illud gummeo-mercuriale diutiſſime, per hebdomadas plures perſtat vix mutatum, niſi quod longa temporis mora grumoſius fiat, magisque nigricans, & minus æquabiliter liquido ſupernatanti miſceatur; non tamen liberum dimittit mercurium, niſi liquido per filtrationem prius ſeparato, calore furni exſiccetur; tum vero ſimul & mucilaginis vis perit, & mercurius libertati ſuæ redditur, forma globulorum metallicorum denuo vivus conſpiciendus.

Experimentvm VIII.

Mercurius ope gummi arabici cum ſuccis animalibus ſubactus.

Ex prioribus experimentis (2. 3. 4. 5. 6.) patuit, ſanguinem & ejus ſerum, ovi vitellnm & albumen, bilem item animalem, ichthyocollam, vix notabili mercurii quantitati ſubigendæ

gendæ ſufficere: quod ſi autem hiſce aliqua mucilaginis arabicæ quantitas admiſcetur, mox æquabiliter cum his unitur argentum vivum, non ſecus ac dum mucus animalis additur. Hinc argentum vivum ope hujus ſubſtantiæ etiam aliis redditur miſcibilis, cum quibus nullam, aut certe minimam affinititatem habet.

Expermentvm IX.

Mercurius cum gummi tragacanthæ.

Haudquaquam vis eadem eſt gummi tragacanthæ. Hoc etenim aqua affuſa in mucilaginem redactum nullatenus ſatisfecit exſpectationi. Nam etſi omnem operam impenderem ſollicitus, & per $\frac{1}{2}$ horæ triturationem protraherem, nihilo tamen ſubigi potuit vel tantillum mercurii, & affuſa aqua, diluta mucilagine, vivus, metallica forma ſplendens, fundum vaſis repetiit

EXPERIMENTTM X.

Mercurius cúm mucilagine ſeminum cydoniorum.

Idem prorſus effectus fuit mucilaginis ex ſeminibus cydoniorum extractæ, cujus drachmæ tres cum drachma una mercurii aſſidua per $\frac{1}{2}$ horæ trituratione nihil ſubacti exhibuerunt.

EXPERIMENTVM XI.

Mercurius cum farina radicis althææ & amylo.

Farinæ radicis althææ ſubtiliſſimæ ſufficientem aquæ quantitatem admiſcui, ut in ſpeciem collæ abiret; additi mercurii vivi aliquantillum, ac per notabile tempus trivi. Sed & ab hac nullam ſubactionem obſervare datum eſt. Cum amylo autem mercurius tritus aliquantillum ſubigebatur.

Ha-

Habet autem amylum gluten animale (*).

EXPERIMENTVM XII.

Mercurius cum manna calabrina.

Mannam quoque puram eadem ratione tentavi, cum videretur aliquid habere mucilaginis, & præterea vulgatiſſimus rumor ſit, in KAISERI pillulis mannam recipi. Dulpam hujus quantitatem cum una mercurii vivi per ¼ horæ exacte trivi. At vix aliquid ſubigere potui; ſed experimentum repetii cum manna vulgari, & in hacce vidi magnam mercurii portionem ſat bene ſubactam eſſe.

EXPERIMENTVM XIII.

Mercurius cum melle crudo & deſpumato.

Mellis crudi, albi, tenacis drachmas duas cum una mercurii vivi drachma mi-

*) Cl. *Prof*eſ. CRANTZ mat. med. T. I. p. 9. & Illuſtr. L. B. van SWIETEN C. E. IV. p. 107.

miſcui, & per ¼ horæ trituravi. Non male ſubactum fuit hydrargyrum, & contra, quam ſperari poterat, affuſa etiam aqua manſit ſubactum, gryſeumque ad fundum vaſis ſedimentum depoſuit, minus tamen bene aquæ miſcibile, quam id, quod ex gummi arabici cum mercurio mixtione oritur.

Idem experimentum cum melle deſpumato repetii, ſed effectu plane contrario; neque enim quidquam argenti vivi ſubactum fuit, ſed omne affuſa aqua in fundo vaſis reſtitit, globulis majoribus ſplenditis conſpicuum.

Scilicet mel crudum aliquid mucilaginis habet, & inde fit, ut aptum ſit ſubigendo mercurio; coctione vero ac deſpumatione ea mucilago melli demitur, hinc mel deſpumatum nullam in mercurium poteſtatem habet.

Ex-

Experimentvm XIV.

Mercurius vivus cum ſyrupo ſimplici.

Saccharum quoque album, puriſſimum, cum dimidia aquæ quantitate in ſimplicem ſyrupum redactum, & cum argento vivo tritum, non tantillum ſubegit, At illud præter exſpectationem fuit phænomenon, quod, licet ipſum ſaccharum, aut ſyrupus, nullum in mercurium ſubigendum efficaciam oſtenderet, tamen addita gummi arabici mucilagine vim ejus conſtanter augeret, ita ut ope ſacchari, vel ſyrupi, mucilago hæc nunc multo firmius, & pertinacius quodammodo, cum argento vivo uniretur & cohæreret.

Adhuc notandum eſt, ſaccharum cum mercurio tritum nigreſcere.

Idem experimentum cum ſyrupis variis, diacodii, kermeſino, violarum

rum &c. repetii, & ſemper firmiorem mercurii ſubactionem cum muco inde obſervavi.

Simul ſic mercurio varius a ſyrupo indui poteſt color, varius dari odor & ſapor, ſic vario ſub colore ſuſpicioſis velari mercurius poteſt.

Experimentvm XV.

Mercurius cum oleo lini & pinguedine.

Cum puro oleo lini argentum vivum nullo labore ſubigi potuit; ſed cum glutinoſo ſedimento olei lini potuit tantillum ſubigi: affuſa aqua cogebatur ſedimentum in butyri ſpiſſitudinem, cum hocce dividi, non ſubigi ſe permittebat mercurius. Coctione forſitan mercurius cum oleo aliquanto plus cogi poteſt, quod vero experimentum non tentavi.

Sed mercurius gummi arabico ſubactus facile cum oleo, pinguedine miſceri potuit, nec adeo cito vaſis fundum petiit, ac in vulgari unguento neapolitano ſolet. vide experimentum VI.

Corollaria.

Ex hiſce experimentis (7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.) evidenter patet:

Imo. Inter ſubſtantias vegetabiles gummoſas ac plaſticas alias, ſolum gummi arabicum eſſe, quod proxime cum muco animali convenit, imo eidem ferme palmam præripit in ſubigendo argento vivo.

2do. Eam mercurii ope muci animalis, & gummi arabici ſubactionem non fieri mere mechanica ratione, nec a ſolo lentore mucilaginis repeti poſſe:

nam

nam & multæ aliæ, etſi magis lentæ, magis tenaces ſubſtantiæ, haudquaquam & longius contritæ id præſtant; & aqua, quæ optimum ac genuinum gummoſorum corporum menſtruum eſt, nec mucum animalem, nec arabici gummi mucilaginem ab argento vivo ſeparare jam poteſt, dum ſemel hæc bene inter ſe juncta fuerint, cujus rei contrarium manifeſte obvenit in gummi Tragacanthæ, mucilagine cydoniorum ſeminum, & aliis.

3^{tio}. Ac proinde, etſi mechanica trituratio ſubactionem mercurii multum adjuvet, veram tamen inter argentum vivum ac mucum animalem, interque gummi arabicum affinitatem intercedere, eamque cauſam eſſe, cur hæc ſemel bene unita deinde adeo amico inter ſe vinculo nexa perſtent, nec mucilago jam aquæ conſortium ineat, quin ſimul una ſemper mercurius aquæ familiariter jungatur.

Iſt-

Iſthæc omnia cum viderem experimentis comprobata, ac de vera affinitate mercurii cum ſaliva & muco animali, quam Clariſſimus Amicus meus animo præſenſerat, convictus eſſem, non jam dubitare poteram, quin ipſius opinio de actione hydrargyri in fauces ac ſalivæ vias præ cæteris omnibus plurimum probabilitatis haberet.

Verum cum gummi arabicum idem omnino, quod mucus animalis, in ſubigendo mercurio præſtaret, videreturque hoc aptiſſimum & maxime naturale mercurii vehiculum, quo mediante is omnibus noſtri corporis liquidis permiſceri poſſet, minus jam de hypotheſi noſtra ſolliciti, utilius collocatam operam noſtram credidimus, ſi in ægris venerea labe infectis tentaremus ita præparatum mercurium, ut appareret, an in ſecundas vias tali ſub fo ma tranſire queat; quodſi enim tranſire ſic in ſanguinem

possit, non dubitabamus, quin efficacius, quam alia præparata mercurialia, luem veneream domaret, cum blandissimus sit, nec minima acrimonia lædere corpus possit, dum cætera præparata ob ingentem salium adhærentium acrimoniam magna dosi propinari haud queunt, & exigua dosi data non nisi multo tempore, & lente admodum, morbum propellunt.

Promisi hinc illico me velle suasu & consilio Viri Clarissimi proxima occasione sic præparatum mercurium tentare, cum primum persona malo venereo infecta sese offerret.

Mox autem triduo abhinc se obtulit fœmina venerea, cujus historia in prima observatioue habetur; obtulerunt se postea & alii, subsequis observationibus descripti ægri.

In

In omnibus hiſce cum viderem inſignem & celerem efficacitatem mercurii gummoſi, atque utilitatem ejus majorem, quam ſperaveram, & quam ab aliis præparatis mercurii intra tam breve tempus ſperari poteſt, conſtanter obſervarem; cum præterea obſtupeſcens viderem, nullam ab hoc remedio, licet copia majori exhibito, ſalivationem excitari, niſi alius adhuc in corpore reſtitet mercurius, aut ſub curatione alius præter gummoſum corpori inferatur, convictum omnino me ſenſi, hanc eſſe optimam mercurii exhibendi methodum, nec dari aliam, quæ cum illa hactenus poſſit comparari.

Atque ſic enata eſt hæc noſtra methodus, quam ob rationes graviſſimas, jam in præfatione dictas, una cum obſervationibus partim meis, partim ab aliis communicatis, in publicam lucem edere neceſſarium duxi.

CAPUT II.

Obſervationes practicæ, ſiſtentes efficacitatem mercurii gummoſi in morbis venereis.

OBSERVATIO I.

Mulier 28. annorum habitus ſanguinei jam ab aliquot menſibus maculis venereis in fronte & facie, ſcabie turpiſſima in toto corpore defœdata, ſimul fluore albo laborans, vigiliis nocturnis, doloribus arthriticis vexata, pullos venditura ad me venit faciem linteo præ pudore velata. Nemo ab ea pullos emere voluit ob tantam ſorditiem. Ego illico cognovi morbum, quo examinato promiſi, quia pauperrima erat, me ipſi velle gratis medicinam dare, ſi omni triduo vellet redire & mihi referre, quomodo ſe haberet.

Altero die purgans mercuriale aſſumſit, ſequenti die ſumere cœpit ſolutionis ſimplicis (n. 1.) mane & veſpere cochleare unum, cum decocto ſarſaparillæ & cicutæ, balneumque domeſticum adhibuit.

Triduo rediens, leve habuit dolorum ſolamen.

Ideo balneo uti, & ſolutionis duo cochlearia mane & veſpere aſſumere juſſi.

Triduo poſt rediens jam doloribus libera erat; maculæ quædam diſparuerant; noctes habuit pacatiores; flour autem albus idem fuit.

Die decimo tertio jam fere omnes maculæ evanuere, omnis abfuit dolor nocturnus. Novam ipſi adhibui ſolutionem mercurialem, cui ſimul balſamum copaivæ addidi, uti formula (n. 2.) præſcribitur.

Rediit poſt octiduum mulier omnium ſymptomatum expers, excepto fluore albo, qui nil correctus erat, quia maritum venereum admiſit, uti confeſſa eſt; juſſi ut maritum adduceret, promittens me illum gratis curaturum.

Sed a prioribus malis libera, jam negligentior, nec monitis meis auſcultavit, nec reverſa eſt ab eo tempore.

Tamen vel imperfectam obſervationem iſtam hic ſiſtere volui, cum ſaltem remedii noſtri in prioribus malis debellandis promptam efficacitatem demonſtraret.

Hæc mulier ultra tres drachmas mercurii gummoſi abligurivit, & nec minimum ſalivationis dedit ſignum.

Observatio II.

Miles 30. annorum ſanguinei habitus, ab aliquot menſibus gonorrhœa ſuppreſſa affectus, luem contraxerat, ac præter venereas in fronte maculas, in utroque oſſis frontalis latere tophum habuit latum, non adeo elevatum quidem, doloribus inſuper arthriticis vexatus, & non modo in glande penis, ſed & faucibus ulceroſus fuit.

Dato purgante incepit ſumere quotidie duo cochlearia ſolutionis n. 1. cum decocto ſarſaparillæ ſine lacte.

Omnia mala intra quatuordecim dies ſine omni mota ſalivatione penitus evanuerunt, niſi quod, ſi aëre frigido exiret, apparerent admodum latæ maculæ, rubicundæ in fronte & facie, multum tamen a prioribus diverſæ, & quæ hypocauſti calore iterum ſpon-

te evanefcebant. Idcirco ut adhuc repeteret remedium fuafi; id fecit, & intra octiduum penitus curatus fuit.

Licet hic æger ab omni fere medicamento purgante ad levem falivationem alias moveretur, tamen a tribus mercurii gummofi drachmis, quæ pro tota curatione impendebantur, nullum falivationis fignum percipi potuit.

OBSERVATIO III.

Miles 36. annorum, fanguinei habitus, gravem in dextro brachio ex caufa venerea rheumatifmum patiebatur. In medio offis humeri tophus furgebat incipiens. Ulcus præterea cariofum in capitulo fuperiori primi offis metacarpi, quod indici digito refpondet, aderat. Hæc mala jam ultra fex menfes tulit.

Sed

Sed suppressa ante aliquot dies gonorrhœa testium dolorem, tumorem, & inter mingendum stranguriam excitavit.

Primo die venæ sectio instituitur, & eodem adhuc purgans assumit antiphlogisticum; scroto fomentum emolliens applicatur.

Altero die emulsionem ex amygdalis, gummi arabico & syrupo diacodii, itemque decocti sarsaparillæ cum verbasco & althæa plura vascula haurit.

Sic per triduum continuatur; dolor in testibus cessat; non quidem redit gonorrhœa, facilius tamen mittit urinam, testis sinister permanet tumidus, dexter diminuitur.

Ulceri carioso applicatur essentia balsamica, in qua grana duo sublimati

corroſivi ſoluta erant. Topho meum unguentum mercuriale (n. 6.) apponitur. Interne quotidie duo cochlearia ſolutionis (n. 1.) cum decocto ſarſaparillæ & emollientibus dantur.

Etiam teſtibus tumidis applicatur unguentum mercuriale meum cum unguento de lithargyrio commixtum.

Hæc omnia continuantur per undecim dies: tophus diſparuit, teſtium infarctus reſolutus, & rheumatiſmus curatus fuit; ulcus calloſitatem marginis perdidit, in tota ſuperficie jam purum evaſit; ideo eidem unguentum mercuriale balſamicum applicui.

Sic intra quatuordecim dies penitus curatus Viennam reliquit.

Per totum tempus, quo ſex circiter mercurii gummoſi drachmas hauſerat, nullum dedit ſalivationis ſignum.

OB-

Observatio IV.

Homo 28. annorum habitus extenuati, jam ultra annum ſcabie ſicca vexatus, demum ſimul gonorrhœa afficiebatur, quam modo jam ultra ſeptem menſes habuit.

Primo die purgatur, altero ſolutionem mercurialem balſamicam (n. 2.) incipit cum decocto ſarſaparillæ, bardanæ & polypodii.

Intra octiduum nec gonorrhœa, nec ſcabies mutatur, ſola urina multo copioſior fluxit.

Altero octiduo gonorrhœæ fluxus copia minor, & albidior evaſit; ſed eadem. Suaſi ideo, ut aqua vegetominerali, quam ex libra una aquæ fontanæ & drachma una aceti lithargyrii compoſui, lavaret artus.

Nec

Nec ſic mutatur ſcabies intra octiduum, licet gonorrhæa jam valde diminueretur.

Ideo contra ſcabiem ſequens adhibui unguentum: ℞. pulveris hellebori albi, ſalis ammoniaci crudiana drachmam unam, axungiæ porcinæ uncias duas, olei roſacei gt. X. m. f. ung. Bis per diem modo hunc, modo alium locum ſcabioſum in artubus illinivit; parum exinde dolebat & rubebat.

Sic intra octiduum a continuata ſolutione mercuriali balſamica gonorrhœa, & paulo poſt ſcabies penitus curata fuit.

Scabies autem hæcce venerea non fuit, ſed aliunde acquiſita.

Hellebori albi efficaciam in ſcabie jam aliquoties expertus ſum, & debeo hoc remedium clariſſimo & expertiſſimo PRINGLE (*).

OB-

Observatio V.

Vidua 47. annorum habitus extenuati jam ultra duos annos fluore albo maligno affecta, demum arthritide, cephalæa nocturna, faucium ulceribus, maculis venereis frontis & faciei admodum protuberantibus, condylomatibus circa anum, ozæna narium, incipiente topho ulnæ sinistræ, scrophula in collo deturpata, meum implorat auxilium.

Dato purgante incipit altero die solutionis balsamicæ mercurialis (n. 2.) mane & vespere duo cochlearia sumere; bibit decoctum sarsaparillæ & cicutæ cum lacte. Fauces & nares gargarismate (n. 4.) sæpius de die eluuntur. Maculæ venereæ frontis & faciei quotidie bis solutione caustica (n. 3.) multa aqua rosarum diluta, tanguntur.

Ma-

*) Observat. on the diseases of the Army. on the itch. page 311.

Maculæ venereæ intra tres dies cruſtoſæ evadebant, & ſiccæ.

Intra octiduum dolores arthritici remittebant, maculæ cruſtoſæ jam penitus diſparebant, adeo ut nec veſtigium earum ſuperſit.

Cæterea ſymptomata manebant eadem.

Continuat per aliquot dies ſolutionem mercurialem, ſed febre intermittente tertiana corripitur. Prohibeo ſolutionem, & præſcribitur a Medico expertiſſimo, qui mihi hanc miſeram curandam dedit, purgans, & ſubſequis diebus cortex peruvianus.

Ceſſat febris intra quatuordecim dies; ſymptomata venerea ſunt eadem exceptis faucibus, quarum ulcera emendata ſunt.

Iterum

Iterum incipit ſolutionem; ſic fauces magis emendantur, nares vero magis tument; ideo cicutæ decoctum cum gargariſmate mercuriali balſamico miſcui, & ut naribus attraheret juſſi; externe naſo imponitur puls ex farina & lacte.

Sic intra quatuor dies detumeſcit naſus, nares magnam copiam puris ſanioſi plorant.

Vix elapſo octiduo iterum febre intermittente admodum erratica corripitur.

Ideo ab omni mercurio denuo abſtinuit, & purgata corticem repetiit. Febris intra quatuordecim dies ceſſat (*), ſed ſymptomata venerea, quæ reliqua adhuc erant, evadebant interea deteriora.

De-

*) Clariſſimus Petit Fater febrem quartanam quandoque luis venereæ ſymptoma eſſe

Demum a febre intermittente libera, per tres ſeptimanas ſolutione & cæteris remediis uti potuit, ſic dolores arthrici, cephalæa, tophus & ſcrophula penitus evanuere.

Remanſit fluor albus ſed levior, albidior, ozenæ narium, & condylomata circa anum.

Condylomata ſolutione cauſtica modo tanguntur, & jam minora, cruſtoſa

eſſe autumat, ideo in iis, in quibus luis phænomena ante plures annos comparuerant, per ſalivationem mercurialem ſanandam febrem quartanam, quibusvis reſiſtentem febrifugis voluit. *Memoir. de l' Acad. Royale de Chirurgie T. I. p. 347.* &c. Attamen huic opinioni contraria eſt *Illuſt.* L. B. van Swieten *Comment. T. I. p. 10.* obſervatio, qui per mediam ſalivationem quartanam febrem conſtanti typo pergentem vidit. Ipſemet atteſtari poſſum, me ab inunctione mercuriali in tribus ſubjectis venereis febrem intermittentem obſervaſſe, quæ nullo alio, quam cortice, remedio potuit curari, & dato iterum mercurio recruduit iterum aliquoties febris.

ſa evadunt, cætera methodus continuatur & ſpero me illam penitus curaturum.

Observatio VI.

Vir 45. annorum habitus extenuati jam a novem annis adeo reiteratis gonorrhœis erat affectus, ut vix octiduum ſine hoc moleſto ſtillicidio eſſet; effluens liquidum erat tempore, quo meam implorabat medicationem, tenue flaveſcens; in media urethra pruritum, atque ſub urinæ emiſſione moleſtam tenſionem, erigenteque ſe pene magnum ibi ſentiebat dolorem. Fidem huic curationi, quæ injectione arcani alicujus liquoris ab empyrico quodam promittebatur, non adhiberet monui.

Altero die purgans aſſumſit; die poſtera, cum abſceſſum in urethra latere ſuſpicarer, candelam balſamo arcæi illitam in urethram immiſi.

Tertio die cum novam applicare ipſemet tentarem candelam, ſubito perſenſit dolorem in media urethra, & major, quam a cochleari coffée capi potuiſſet, copia puris flavi cum aliquot ſanguinis guttulis ſubito effluxit.

Meæ ſolutionis mercurialis balſamicæ per octiduum mane & veſpere duo cochlearia aſſumſit; pro potu ordinario decoctum ſarſaparillæ, & cicutæ cum lacte potavit bis de die. Per mediam horam candelam unguento mercuriali balſamico illitam ſibi applicavit.

Hoc integro fere octiduo copioſa adfuit gonorrhœa.

Altero octiduo minuitur fluxus copia, & color ejus albidior evadit. Hac methodo continuatur, & demum can-

delæ

delæ ſiccæ (*) applicantur, ſenſim ceſſat omnis fluxus adeo ut trigeſimo a curationis principio die, integre curatus Vienna proficiſceretur promittens ſe mihi ſcripturum ſi rediret malum. Toto curationis tempore nullum exhibuit ſalivationis ſignum.

Observatio VII.

Vir 36. annorum ſanguinei habitus jam ultra quinque annos reiteratis gonorrhœis affectus, modo ſimul glandis & præputii ulcuſcula, unumque magnum in glande condyloma habuit.

Dato purgante ſubſequis diebus ſolutionem mercurialem balſamicam ſumſit. Externe ulcuſcula unguento mercuriali balſamico deligantur; con-

*) Compoſitionem candelarum vide in expertiſſimi & eximii Goulard *œuvres chirurg.* T. II. quem librum ſatis æſtimare non poſſum.

dyloma bis de die ſolutione cauſtica tangitur.

Primis diebus ampliora magis ac ſuppurantia evadebant ulcuſcula, octavo tamen die illa penitus curabantur, decimo tertio condyloma exſiccatum excidit.

Gonorrhœa minori copia fluxit, applicavi candelam unguento mercuriali illitam.

Sic quarta ſeptimana integre curatus eſt, nec ullum ſub curatione ſalivationis præbuit ſignum.

Observatio VIII.

Homo 28. annorum extenuati habitus a ſuppreſſa ante tres annos gonorrhœa arthritidem contraxit, demum colli ſcrophuloſas glandulas & ſeptem profunda admodum lataque fau-

faucium ulcera habuit, cum meæ ſe committeret curationi.

Primo die purgatur; altero ſolutionis ſimplicis mane & veſpere duo cochlearia ſumere orditur. Bibit pro potu ordinario decoctum ſarſaparillæ, cicutæ & ſpecierum pectoralium cum lacte.

Quarto die incepit exigua ſalivatio, humor vero ejectus magis glutinoſus quam ſalivalis erat; ſed ſub ea faucium ulcera admodum lardacea evadunt, ideo bis quotidie penicillo, quod melle roſaceo, pauca unguenti ægyptiaci quantitate permixto, imbutum erat, tanguntur. Sæpius eluitur os, & injicitur faucibus gargariſma balſamicum ſine mercurio gumoſo paratum. Mane & veſpere ſolumodo unum ſolutionis mercurialis cochleare aſſumere ægrotus jubetur.

Continuat ſic ſalivatio in ſeptimum usque fere diem, ſed placidiſſima ſine gingivarum inflammatione, ſine dentium vacillatione; unciæ tres, quatuor, ſalivæ intra diem ejiciuntur; ulcera quotidie puriora, minora evadunt. Demum, quod mihi maxime mirum fuit, ceſſat ſalivatio ſub continuato ſolutionis uſu, & licet iterum mane & veſpère duo cochlearia ſolutionis aſſumeret, tamen per totum reliquum curationis tempus nullum amplius ſalivationis habuit ſignum.

Die decimo ſexto omnia ſeptem faucium ulcera penitus ſanata fuere, arthritis penitus deſiit, rediit ſomnus.

Sed ſcrophularum una, ab empyrico quodam, emplaſtro veſicatorio (me renuente) eroditur, exulceratur. Ideo juſſi, ut aperta ſcrophula, quæ tamen valde adhuc dura erat, unguen-

ento basilico, mercurio gummoso mixto deligetur, cæteræ vero scrophulæ cerato meo mercuriali fricentur & demum forma emplastri tegantur.

Sic intra octiduum omnes scrophulæ evanuere, aperta sanata fuit.

An in hoc casu salivatio a meo mercurio inducta fuerit, an a priori mercurio adhuc in corpore retento quæstio est. In 7tem enim prioribus observationibus nulli salivatio fuit mota; præterea hæcce salivatio ad septem solummodo dies duravit, nec continuavit aucta etiam mercurii mucosi quantitate, quem adhuc per tres septimanas repetiit. Denique hic homo per tres jam annos varia præparata mercurialia, & non diu ante meam curationem, frictiones ad salivationem usque adhibuit, per quas tamen curatus nunquam fuit.

Ex ſubſequis tandem obſervationibus edoctus ſum, illis utplurimum ſubjectis ſalivam moveri, quæ mox ante uſum mei mercurii vel ſub uſu mei mercurii, adhuc externe vel interne ſibi alium mercurium in corpus ingerunt. Id ab emplaſtro vigonis, ab unguento neapolitano officinali, a mercurio dulci, & a ſpiritu frumenti vidi.

Videtur mercurius gummoſus adeo adaptare vias ſalivales, ut alius vel antea vel ſub gummoſi uſu ingeſtus eo facilius ſalivationem efficere valeat.

Observatio IX.

Puella 18. annorum ſanguinei habitus jam ultra medium annum vulvæ labia, perinæum, & ani totum ambitum innumeris parvis condylomatibus

bus obductum habuit, cum fluore albo fœtido.

Purgatis primis viis incipit sumere solutionem mercurialem balsamicam, bis quotidie solutione caustica crustæ condylomatosæ tanguntur, sic intra tres septimanas condylomata, quarta autem hebdomade fluor albus evanuit.

Molestum insuper habuit vaginæ pruritum post sanata jam condylomata, sed perstante adhuc fluore albo. Intra triduum hic pruritus evanuit inunctione vaginæ, cum unguento mercuriali mucoso, & usu trium balneorum aquæ Danubianæ.

Observatio X.

Homo 35. annorum jam ante duodecim annos bubone venereo resoluto arthritide corripitur atroci, quæ variis remediis mercurialibus tractata, di-

minuebatur quidem, non autem integre evanescebat. Jam vero a sex annis perpetua arthridide affectus vixit; & ultimo anno gummi venereum surgit e septima costa vera sinisteri lateris, hoc gummi sensim exulceratum magnam copiam saniei purulentæ plorat, exsiccantibus tractatur, & partim pro arthritide partim pro gummoso ulcere sanando balneum badense præscribitur ægroto, balneo hoc uti inceperat, at cum tertia vice in balneo esset, hemiplegia afficitur, unde Viennam redit æger. Arthritis, licet adesset dimidii corporis immobilitas, adeo tamen valida erat, ut præ dolore perpetuo clamaret.

Sic inveniebatur æger ab Eximio Chirurgo, qui mihi eundem monstravit & dein cum expertissimi medici assensu meum ipsi præbuit mercurium gummosum, cum decocto sarsaparillæ & lacte. Exulcerato gummoso tumori

mori unguentum mercuriale balſamicum imponebatur.

Tertio die jam melius & cum minori dolore ægrotus digitos movere valuit; plus ſaniei plorare incepit exulceratus coſtæ tumor.

Decimo quarto die gummi reſolutum & conſolidatum erat, ipſa arthritis & paralyſis venerea intra quator ſeptimanas evanuerunt penitus, ſolus dolor iſchiaticus adhuc ſupererat, pro quo penitus ſanando Cl. Medicus pillulas ex mercurio gumoſo, cicuta, & camphora præſcripſit, & jam poſt tres dies etiam hicce dolor fere evanuit.

Observatio XI.

Puella 23. annorum jam a ſex menſibus ſcabie venerea & condylomatibus admodum criſtoſis poſticam colli partem, buccas, & manus obſitas ha-

habuit. Fluore albo, & intolerabilibus rheumaticis arthriticisque vexata fuit doloribus, præſertim de nocte. Magnus denique tophus dextram occupavit tibiam.

Intra quartuordecim dies ſcabies condylomataque emendata erant ſolo mercurii mucoſi & ſarſaparillæ uſu, ſimul omnes jam abieruut dolores. Nullum hucusque dedit ſalivationis ſignum.

Sed ab hoc tempore topho, cujus altitudo pollice quidem jam minor erat, applicatur emplaſtrum Vigonis, & puella poſt ſex dies ſputationem aliquam, incommodamque ſentiebat deglutionem, ideo dabatur purgans, fauces aqua vegeto-minerali eluebantur, & ſic intra triduum lenis hæc ſalivatio omiſſo emplaſtro & mercurio mucoſo ceſſavit.

Poſt

Post hoc tempus iterum incepit sumere solutionem meam & sine animadversione salivationis penitus curata fuit: hoc vero mirum est sub usu hujusce remedii novum tophum in tibia sinistra apparuisse & post aliquot dies iterum evanuisse.

Observatio XII.

Infans unius & medii anni, cujus parentes venerei non erant, jam a medio anno condylomata circa anum, rhagodes & ulcuscula in labiorum oris angulis habuit. Parentes credebant a linteis infanti suppositis, quæ forsan alias simili morbo infectis supposita erant, miasma venereum fuisse communicatum.

Cl. Medicus dato leni purgante, præscripsit mercurii gummosi ʒß. in unciis duabus syrupi violarum subacti, & una uncia aquæ fumariæ diluti.

Ab

Ab'hocce ſyrupo mane & veſpere cochleare coffée infanti datur cum decocto ſarſaparillæ. Condylomata ſolutione cauſtica, aqua roſarum diluta, bis tanguntur, & illico unguentum eis applicatur.

Oris vero anguli exulcerati unguento mercuriali balſamico meo bis de die illinuntur.

Hacce methodo effecimus, ut infans quarta nocte jam bene dormiret, qui jam ab aliquot menſibus admodum inquietas habuit noctes, oris anguli magis exulcerabantur per duos dies, dein vero puriores evadebant, & decimo die jam ſanati erant.

Condylomata exſiccata evanuere die vigeſimo tertio. Infans optime ſe habet & nullum ſalivationis præbuit ſignum.

Poſ-

Possem hisce plures alias observationes adjungere, quibus felix istius remedii & prompta efficacia ulterius comprobaretur; sed eas utpote minoris momenti, nec prioribus magnitudine morbi pares, volens prætereo, daturus alias, si quæ inposterum notatu digniores occurant, historias.

Cæterum spem felicis indies successus inde concipere me posse videor, quod passim jam ab expertissimis huius urbis medicis hoc remedium ægris & repetitis quidem vicibus præscribi intelligam. Magis me confirmavit Eximii & primarii Cataphractæ equitum legionis Daunianæ Chirurgi MEDERER amica relatio, quæ insignem hujus remedii effectum in pluribus casibus testatur (*).

*) *Mit der von ihnen erfundenen Art das Quecksilber in dem Wasser zu geben habe ich zwey, und der Herr Staabs-Chirurgus Zcersen in Arad etliche dreissig Versuche gemacht; der glück-*

In omnibus fere, qui hoc remedio usi sunt, adauctam observavi secretionem urinæ, quæ & copiosa & sæpe mucosa graveolens profluxit. In aliquibus tamen spatio quorumdam dierum copiam sudoris spontanei, levantis, in nullo diarhæam, salivationem, nisi alia mercurii præparata intervenissent, deprehendi. Alvus in omnibus erat libera, etiam iis, qui alias constipata laborabant.

In aliquibus gonorrhœam, in aliis fluorem album iterum per aliquot dies revocatum vidi.

In

glückliche Erfolg hat den Gebrauch dieses Mittels auch in das Spital nacher Temesvar übersetzet, wovon ich Ihnen ausführlichere Berichte einsenden werde &c.

Siclo *nächst* Arad
den 1. Augusti.

MEDERER,
RegimentsChirurgus von B. Daunischen Curassier-Regiment.

In bubonibus induratis jamque vetuſtis nil adhuc peculiare vidi. Vidi utique molleſcere hujuscemodi tumores externe applicato atque intus exhibito gummoſo mercurio; ſed perfectam reſolutionem hactenus attingere non potui. Neque id mirum videri debet, cum perſpectum ſit omnibus, quam pertinaciter iſtæ indurationes & quamdiu omnibus medicamentis etiam optimis reſiſtant.

CAPUT III.

Conſectaria ex obſervationibus partim hiſce, partim aliis deducta, morbos venereos ſpectantia.

Scilicet an mea methodus aliis præferenda ſit, doceat accurata hujus methodi cum aliis uſitatis comparatio.

Viget autem hodiedum triplex mercurii exhibendi methodus. Primi merrium vivum externe ad ſalivatio-

uem uſque inungunt, ſalivationem per aliquot hebdomadas adhibent, & ſic ſuos ægros curare tentant.

Alii mercurium vivum externe parva doſi & interpolatis purgantibus ſine excitata ſalivatione ſuis ægris adhibent.

Alii denique varia præparata mercurialia ore aſſumenda præbent.

Ut autem miaſma venereum a mercurio iners reddatur quinque requiruntur a Pathologis poſtulata.

1) Ut tanta in corpus ingeratur mercurii quantitas, quæ quantitati miaſmatis in corpore exiſtentis domandæ, ac deſtruendæ ſufficiat.

2) Ut mercurius per omnia & minima vaſa ruat.

3) Ut quamlibet guttulam noſtrorum humorum impprægnet.

4)

4) Ut per aliquot tempus maneat noſtris humoribus junctus, & ſæpius cum iis circumducatur.

5) Ut demum miaſma cum mercurio per vias naturales commode ex corpore eliminetur.

An jam hæc quinque requiſita prima, ſecunda, vel tertia methodus habeat? anque mea methodus hæc præſtet? paucis videndum eſt.

In ſalivatione mercuriali copioſe quidem miſcetur mercurius humoribus noſtris, ſed per ſalivationem cito nimis iterum ex corpore ejicitur; nam cum ſaliva primis diebus ejecta ſimul ejici, docet aurum in ore retentum; quod a tali ſaliva albeſcit, ſed ſi non iterum novus ingeratur mercurius, ſalivatio continuata non amplius dealbat aurum, certo ſigno, quod omnis mercurius iterum e corpore ſit eliminatus (*).

(*). Hæc ratio mihi videtur, quod multi repetita etiam ſalivatione curati non fuerint; præſertim ii, in quibus brevi poſt ſecundum, tertiamve inunctionem, jam ſalivatio copioſa orta fuit, qua cito iterum mercurius elabebatur.

Præterea admodum *incommoda* eſt ſalivatio, eſt *periculoſa*, nec *certo* curat, nec *critica* eſt, nec *omni ſubjecto* adhiberi poteſt, nec *neceſſaria* eſt.

Id demonſtrari poteſt per partes. Et *incommoda* quidem ſponte patent, ſi modo conſiderentur tædioſæ inunctiones, angina mercurialis, perpetua febricula, continua per ſex & plures hebdomadas ſputatio, neceſſaria ab omni fere cibo continentia, perpetuus timor ſuffocationis ad auræ frigidioris allapſum, moleſtiſſima faucium exul-

*) *Illuſtris R*oſen von Roſenſtein *Abhandlung von denen Kinderkranckheiten* C. de lue venerea

exulceratio, oris fœtor, & emaciatum denique poſt curationem corpus. Nil dicam, quod domi perpetuo vel lecto affixi, vel cameræ incluſi, in putrida atmoſphæra verſari debeant ægri, etiam amicorum commercio privati. Nec plura jam addo, quum graphice ſalivationis incommoda deſcripſerit *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN (*).

Sed & *periculoſa* eſt ſalivatio; nam ſubinde etiam ab optime inſtituta hydrargyroſi violentiorem febrem, diarrhœam; dyſenteriam, hæmoptoen, maxmillarum immobilitatem, quin & ſuffocationem ſecutam fuiſſe teſtatur Clariſſimus ASTRVC (**) & poſt illum expertiſſimus LOCHER (***).

Nec ſalivationem *certum* eſſe luis curandæ remedium, ex eo patet,

 quod

*) Comment. T. I. §. 135. pag. 206. 207.
**) In libro de morbis venereis.
***) Maximil. LOCHER obſerv. practicæ circa luem p. 12.

quod non adeo rara ſint ægrorum exempla, quibus poſt unam & alteram legitime inſtitutam ſalivationem plura mala venerea redierunt. Præterea ipſe expertiſſimus ASTRUC candide fatetur, nec gonorrhœam, condylomata, nec fiſtulas, nec dolores oſteocopos, exoſtoſes, ſcirrhos, cariem, rhagades, ulcera contumacia, herpetem, lichenes, gummata, carcinomata, potuiſſe ſalivatione etiam legitime inſtituta perſanari (*).

Nec *critica* eſt. Nam ſponte excitata ſalivatione venereum quemdam curatum fuiſſe, nulla obſervatio teſtari poteſt. Præterea innumeræ dantur ſine omni ſalivatione optime curatorum, labe venerea infectorum hominum, obſervationes. Et ſaniſſimus homo mercurio inunctus etiam fœtentem cum ſymptomatibus iisdem, ac venereus, ſalivam ejicit.

Nec

(*) L. c. a. pagina 427. ad pag. 453.

Nec in *omni ſubiecto* adhiberi poteſt ſalivatio. Nam nec gravidis, nec infantibus, nec pectore morboſis, nec jam valde emaciatis, nec epilepticis, nec qui ſcrophuloſas, aut valde exeſas habent fauces &c. ſalivatio adhiberi poteſt.

Nec *neceſſaria* eſt pro lue curanda; cum innumera habeantur exempla hominum valde ſyphiliticorum ſine omni ſalivatione optime curatorum; cumque experimentis demonſtretur, ſolum mercurium ſufficere ad miaſma venereum debellandum, facile patet, ſalivatione ad luem curandam opus non eſſe; poteſtque mercurius cum miaſmate venereo commodius & facilius per vias conſuetas, puta transſpirationem, alvum & urinam expelli.

Cum jam mea methodus nec incomoda, nec pericula ſalivationis habeat, cumque ſalivatione certior ſit, & cum in omni ſubjecto adhiberi poſ-

ſit, facile patet in quantum ſalivationi præferri debeat. Tranſeamus ad alteram methodum.

Maxime ob ſalivationis incommoda & pericula Clariſſimi Viri CHICOYNEAU & HAGVENOT mercurium parvis doſibus illiniendum volebant, & interpolatis purgantibus, ut ſalivatio impediretur. Verum & hac methodo ipſa non raro præter exſpectationem mercurius, pauca licet quantitate illitus, ſalivationem non coercendam efficit, & incommodum ægris regimen adhiberi debet, & quia mercurius interpolatis purgantibus perpetuo iterum ex corpore ejicitur, curationes non adeo perfectæ, & admodum lentæ fiunt, ut ego ſaltem perſæpe vidi.

Jam tertia methodus examinetur. Inter præparata mercurialia mercurius dulcis, ſublimatus corroſivus, præcipitatus ruber, & panaceæ variæ referun-

runtur. Sed hæc omnia acria & venenata ſunt; hinc magna doſi dari non poſſunt, nec debent, & parva doſi data ob exiguam mercurii copiam lente agunt, hac ſaltem virtute, qua miaſma deſtruunt.

Ex his ſolus mercurius corroſivus ſublimatus ſpiritu frumenti ſolutus experientia adhuc efficaciſſimus invenitur; acris enim & venenata ejusdem indoles oleo vini involvitur, caute & cum obvolvente decocto datus raro ſalivationem efficit; nauſeoſus ſpiritus frumenti ſapor ſyrupo corrigi poteſt, multa aqua dilutus etiam debilioribus ſubjectis exhiberi poteſt. Et omnino expertiſſimi LOCHER, aliorumque Clariſſimorum Virorum experimenta docuerunt, in millenis caſibus hoc remedium inſignis eſſe efficaciæ, ſi caute & ſat diu detur, quod & ego per ſex & ultra annos in caſtris ultimo bello expertus fui.

Cæteras mercurii exhibendi methodos non examino, cum vel inefficaces ſint, vel inconſuetæ: ſic æthiops & cinnabaris jam a Summo BOERHAAVIO (*) interne data in lue venerea inefficacia habentur. Sic quidam mercurium vivum cum purgantibus, alii cum balſamo peruviano, cum terebinthina, alii cum camphora & ſaccharo exhibent, ſed per hæc addita, prout varia eſt additi virtus evacuans, nimis cito mercurius iterum & quotidie per alvum, per urinam, vel per ſudorem ejicitur, vel cum ſæpius hæc addita mercurium a ſalivatione cohibere non valeant, is per hanc viam adhuc citius elabitur.

Ex his ergo patet, mercurium gummoſum, quia incommoda & pericula ſalivationis vel nunquam vel rariſſime timenda habet, quia magna & requiſita doſi ingeri tuto poteſt, quia

*) Chem. T. II. p. 432. atque Tom. I. pag. 576.

quia facilius cum noſtris humoribus fluit, quia citius in miaſma venereum agit, quia omnibus ſubjectis exhiberi poteſt, ideo aliis mercurii exhibendi methodis eſſe præſtantiorem.

Liceat jam hisce confectariis adhuc jungere ſequentia.

1. Solus mercurius ſufficit ad miaſma ſyphiliticum debellandum.

2. Mercurius topice locis venereis applicatus citius agit & certius in miaſma, quod topice alicui parti adhæret.

3. Ideo præter internum etiam externus ejusdem uſus adhiberi ſimul debet.

4. Sed mercurius maxime miaſma, non autem effectus a miaſmate jam factos, e ſolidis noſtri corporis partibus aufert. Id docent morbi poſt ſalivationem relicti.

5. Ideo ſub uſu, vel poſt uſum mercurii, pro varietate ſymptomatum adhuc alia indicata remedia venereis exhiberi debent.

Hinc nemo mihi ſuccenſere debet, quod ſæpe pro ratione circumſtantiarum alia medicamenta mercurio admiſcuerim. Specificam autem cujusvis mali venerei medelam proximo libello communicabo.

Caput IV.

Nova hypotheſis de actione mercurii in vias ſalivales.

Mercurius inter omnes humores animales cum muco maximam habet affinitatem. Id evidenter docent experimenta 1. 2. 3. 4. 5. 6. cum eo enim facillime ſubigitur, & ſubactus manet etiam aqua dilutus, & ſpatio aliquot menſium aſſervatus. Nec idem cum ſanguine,

guine, ſero, bile, ovi vitello, albumine, glutine animali ſuccedit.

Mercurius gummi arabico ſubactus ſimilimus eſt illi, qui per mucum animalem revinctus eſt, & ope hujus menſtrui facillime cum cæteris noſtri corporis liquidis miſceri poteſt. Hoc docet experimentum VIII.

Mercurius vel per os, vel per vaſa, reſorbentia externæ corporis ſuperficiei in maſſam ſanguineam ductus omnium ſyſtematum mucoſorum primum invenit in faucibus. Per aortam enim ejectus, in carotides & ſubclavias arterias pulſus, nullibi glandulas mucoſas obvias habet, niſi in faucibus & narium antris. Huc appulſus lege affinitatis & adhæſionis muco jungitur, & in hisce glandulis retinetur, præterlapſurus easdem, niſi humoris mucidi amicitia retineretur.

Hinc intelligitur, unde illa congeſtio humorum, & tumor faucium ante

te ſalivationem oriatur. Patetque haudquaquam a ſola circulatione, aut impetu argenti vivi, ſed ex ſingulari ejusdem cum muco affinitate rationem eſſe petendam, cur hisce organis præcipue adhæreat. Atque iſtud primo demonſtrari oportebat; nunc ad alia tranſeo, ut intelligatur ratio ſalivationis.

Omne ſyſtema ſecretorium ſpecificam habet irritabilitatem, qua fiat, ut non promiſcue ab omni, ſed a certo ſolum, & ſpecifico ſtimulo moveatur. Id per obſervata plurima evictum eſt, & pro certo aſſumi poteſt. Ita cantharides maxime movent ſyſtema urinarium & ſpermaticum; emetica ventriculum; purgantia etiam per venas canis injecta, vel infantis abdomini extrinſecus illinita inteſtinorum ſyſtema nerveum movent, & diarrhœam provocant; fumus accenſi ſulphuris præ omnibus pulmonum nervos vellicat, nares hominis

minis non movet facile; fatuus betæ ſuccus, omnis acrimoniæ expers, narium ſyſtema in ſternutationem ciet (*); Lux vividior ſolum oculum gravius afficit, in toto reliquo corpore nullam mutationem producit.

Quid igitur repugnat, quominus eadem ratione ſalivæ ac muci organa a mercurii ſpecifico ſtimulo ita irritentur, ut nunc muci ac ſalivæ ſecretio multo, quam *ante, uberior fiat?* Hæc opinio, præterquam quod certis nitatur fundamentis, etiam phænomenis exacte quadrat.

Video autem, quid poſſit opponi. Nempe, detur etiam, mercurium in mucoſis faucium glandulis uniri muco, & retineri, & ſtimulo ſuo hæc organa afficere, non ideo perſpicitur, cur ex ſalivalibus glandulis maximum oriatur profluvium, cum certe mercurius non perinde facile ſaliva, ut muco, ſubigatur. Ad

*) Clariſſimi Profeſſ. CRANTZ mat. med. T. I.

Ad hanc objectionem commode reſponderi poteſt, neque adeo ex ingenio, quam ex phænomenis naturæ. Arenula in oculum illapſa ſequitur ingens lacrymarum profluvium, irritata glandula lacrymali, etſi ad illam arenula nunquam pertigerit, nec pertingere poſſit. Acri aromate apici linguæ impoſito mox copioſum ſalivæ profluvium oritur, etiam ſic irritatis glandulis ſalivalibus, dum tamen ſtimulus non his, ſed linguæ papillis fuit applicatus. Et nauſeante ventriculo ſalivare incipiunt homines, cauſa in diſſito loco hærente, & ſalivant pariter plumula irritatis faucibus.

Etſi igitur mercurius potius in mucoſis faucium, quam ſalivalibus glandulis, accumuletur, poteſt tamen poſteriores has vel per conſenſum efficaciter irritare, ut augeatur ſalivalis laticis ſecretio, etiam magis, quam ipſius muci.

Er-

Ergo salivationis a mercurio inductæ causa ex adhæsione hujus ad glandulas faucium mucosas, & inde orta per consensum salivalium glandularum irritatione, repetenda videtur. Nec mirum videri debet, etiam a blando & simplici mercurio, nullis salibus exasperato, salivalia organa irritari. Non est de natura stimuli irritantis, ut sit acrimonia præditus; fatuus betæ succus irritat nares & fortem ciet sternutationem. Tepida aqua blandissima cor & intestina irritat, & horum motum suscitat. Est enim peculiaris partium diversarum corporis humani irritabilitas, & sunt, qui huic respondent, stimuli quoque peculiares.

Mercurius gummi arabico subactus specificum suum stimulum in salivalia organa exercere nequit. Hoc docent omnes observationes practicæ recensitæ C. II. Novi etiam subjecta admodum pituitosa, quæ mercurium dulcem diutius

ſine ſalivatione aſſumſerant. Novi etiam duos ægros, quibus ex aliis præparatis mercurialibus oborta ſalivatio ſtatim minuebatur, ac demum ceſſabat, gummi arabico in emulſione exhibita. Diſcimus hinc, quam miræ & non præviſæ corporum proprietates ex diverſa horum mixtione oriantur. Simplex mucilago demit mercurio ſtimulum ſuum ſpecificum, dum interim vim ejusdem antivenéream illibatam conſervat! Rectiſſime hinc præcipit *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, ut ægri, qui ſpiritu frumenti cum mercurio utuntur, largam decocti hordei, vel alterius cujuscunque emollientis copiam potent (*). Nempe hæcce mucilaginoſa aptiſſima ſunt obvolvendo mercurio, ne is ſtimulo ſuo ſalivam cieat.

Mercurius muco ſubactus facilius ex primis viis, aut externa corporis ſuperficie in

*) In epiſtola ad Clariſſ. Joh. *Benevenutum*, quæ inſerta eſt *comment. de reb. in ſcient. nat. & med. geſtis*. T. V. p. 717.

in ſanguinem tranſit, quam mercurius vivus non ſubactus. Vivus enim mercurius deglutitus e primis viis iterum ſuo pondere elabitur, nec adhæret inteſtinis, & licet præſto ſit mucus primarum viarum, tamen cum hoc illum non adeo bene ſubigi poſſe, ut adhæreat, ac illud extra corpus humanum ope piſtilli fit, quivis facile perſpicit. Nam & ipſæ mercurii particulæ ſeſe attrahunt mutuo, & quamdiu hæc attractio fortior eſt attractione earundem cum muco, tam diu nulla vera ſubactio contingere poteſt.

Mercurius mucoſus facilius & æquabilius per vaſa fluit. quam unguento pingui inunctus. Minorem habet mercurius cum pinguedine, quam cum muco, affinitatem (*). Hinc ſæpe cum pinguedine inunctus mercurius, dum in corpus penetravit, iterum ſeſe pinguedine exuit, & partim glandulas faucium petit, ſalivationem ciens,

 par-

*) Videatur Experim. VI. nec non Exper. XV

partim ad muciparos inteſtinorum folliculos ruit, diarrhœam provocans, partim ſinoviales glandulas intrat, articulorum impedimenta efficiens, præſertim vero genuum, ob majorem hic loci glandularum mucoſarum copiam. Fauces enim, inteſtina, & articuli potiſſimum a mercurio afficiuntur, ut vidi. Contra vero mercurius muco ſubactus, omnibus corporis humani liquidis miſcetur facile, (per experim.); cum omnibus ergo liquidis & per omnia fere vaſa fluere inoffenſo pede poteſt, & per univerſam humorum maſſam diſtribuitur æquabiliter; nec eſt ratio cur jam remoram pateretur in organis mucoſis, dum ſufficienti muci copia jam ſaturatus eſt. Hinc etiam intelligitur, cur mercurius mucoſus, etiam magna quantitate ſumtus, ſalivationem non moveat; & hinc etiam citior ejus, quam aliorum præparatorum mercurialium in lue domanda effectus eſt, cum per omnem

nem ſanguinis maſſam æqualiter diffundatur, & ea doſi ſine noxa ſumi poſſit, qua nullum aliud. Hoc docent obſervationes noſtræ, ſi cum aliis conferantur.

Quomodo vero mercurius agat in miaſma venereum, illudque deſtruat, nemo opinor dicere poterit, niſi prius ipſius miaſmatis hujus natura perfecte cognita ſit. Ego hac in re lubens meam fateor ignorantiam, & ea ipſa, quæ de ſalivationis theoria protuli, ut hypothetica interim, judiciis Maximorum Virorum propoſita tantummodo volo, gratulaturus mihi, ſi quis alius meliorem de mirabili argenti vivi actione theoriam invenerit, demonſtrarit.

FORMVLAE MERCVRIALES.

N. I. *Solutio mercurialis ſimplex.*

℞. Mercurii vivi depuratiſſimi. drach j.
Gummi arabici drachm. II.

terantur invicem in mortario lapideo, addito medio cochleari aquæ fumariæ,

donec mercurius penitus difpareat in mucum.

Exacte fubactis admifce fenfim conterendo

Syrupi Kermefini Unc. ß.
Aquæ fumariæ Unc. VIII.

D. S. mane & vefpere cochlearia duo.

N. II. *Solutio mercurialis balfamica.*

℞. Balfami Copaivæ
Gummi arabici ana drachm. ß.
terendo fubigantur. Exacte fubactis adde fenfim conterendo
Syrupi kermefini drach. II.
Aquæ fumariæ Unc. II.
tota hæc folutio mifceatur cum priori N. I. bene concuffo vafe dentur mane & vefpere cochlearia duo.

N. III. *Solutio cauftica pro condylomatibus.*

℞. Aquæ fortis Unc. I.
Mercurii vivi drachm. II.
Plumbi fimpl. drachm. I. ß
fiat leni calore folutio.

N. IV.

N. IV. *Syrupus mercurialis.*

℞. Mercurii vivi drachm. ß.
Gummi arabici. drach. I. ß.
terantur invicem in mortario lapideo addito medio cochleari aquæ fumariæ, donec mercurius diſpareat in mucum, ſenſim conterendo admiſce
Syrupi violarum Unc. II.
Aquæ florum ſambuci Unc. I.
D. S. pro infante cochleare coffée mane & veſpere.

N. V. *Pillulæ mercuriales*

℞. Mercurii vivi dr. I.
Gummi arabici dr. II.
Terantur invicem addito medio cochleari aquæ in mucum.
Huic bene ſubacto adde
Extract. cicutæ ℥j.
Pulveris liquiritiæ q. ſ.
m. f. pil gr. ij. S. mane & veſpere 6. pro doſi.

N. VI. *Unguentum mercuriale ſimplex.*

℞. Mercurii vivi
Gummi arabici aa Unc. ß.

Su-

Subigantur addito cochleari aquæ in mucum.

Huic admiſce

Unguenti nutriti recent. Unc. I.

m. d. uſui.

Subinde camphoram & ſaponem nigrum, quando tumoribus induratis, ſubinde balſamum, quando ulceribus illud adhibui, addidi.

N. VII. *Ceratum mercuriale ſimplex.*

℞. Mercurii vivi

Gummi arabici aa Unc. ß.

Subigantur addito cochleari aquæ in mucum.

Adde ceræ liquefactæ &

butyri Cacao q. S.

pro formando cerato. d. uſui.

F I N I S.



4144

